

STAPHYLIS.
et Tomus.
p. 1.



Nf. 27.



23.

23

C. D.

DISPUTATIO ANTIPONTIFICIA,
DE
CLERICORUM
CIRCA CALICEM
CHRISTI PRÆROGATIVA,

*In Colloquio Synodico Pastoralis
Kembergensis
proposita*

à
D. DAVIDE VVENDELERO,
Præposito & Superintendente,

Respondentis vices sustinente,

ANDREA GEORGI, Crossâ-Silesio, *w.*
Ecclesiæ Schmideb. Diacono,

Ad Diem XIX. Junii, Anno MDC XC.

WITTEBERGÆ, *40:22*

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ. *all 22*

*W. M. Schaff
ad D. W. M. Schaff*

ILLUSTRISSIMO HEROI
AC DOMINO,
DN. GODOFREDO,
LIBERO BARONI
A IENA,

In Dobernitz / Ziemendorff & Helffta /
Potentissimi Electoris Brandenburgici Consiliario
Intimo, & Ducatus Magdeburgici Cancellario
Eminentissimo,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

Nec Non

Magnifico, Nobilissimo ac Consultissimo,

DN. FRIDERICO HONDORFIO,

Jcto Famigeratissimo, Potentissimi Electoris Branden-
burgici Ducatus Magdeburgensis Consiliario Splendidissimo,
Judicii Salinarum Hallensium Præfecto Summo,

DNO, Patrono ac Fautori Maximo & Optime Merito,

Vitam Longævam,

Salutem prosperam,

Felicitatem consummatam

ex animo precatur

simulq; Hanc Dissertationem Synodalem,

In debitæ & submissæ Observantiæ symbolum,

ac ulteriorem Sui Commendationem

Dat, Offert, Consecrat

Illustrissimæ Excellentiæ

ac

Magnifici Nominis,

Devotissimus coram Deo Intercessor

& humillimus Servus

D. DAVID WENDELER, Præses & Auctor.



Fova Fuva!

S. I.



um Deus Optimus Maximus noluerit homines lapsos propter peccata æquè, ut Diabolos, sine omni spe veniæ abjicere; sed ipsi placuerit eos in gratiam recipere, & ad pristinam, ad quam creati erant, beatitudinem habendam postliminiò perducere, ei adipiscenda idonea, proportionata & sufficientia media ordinavit. Inter illa media, uti ex parte mortalium, primum atque unicum est fides, quæ à Spiritu Sancto, qui eam per prædicationem Evangelii in nostris cordibus accendit, & per usum Sacramentorum confirmat, proficiscitur: ita Numen Divinum, ex parte ipsius, duo constituit media, quibus intervenientibus fides in animis hominum effici & produci, producta conservari, denique & confirmari solet, quorum unum audibile est, nimirum verbum, alterum visibile seu Sacramenta, ubi mediantibus & in oculos incurrentibus symbolis gratia Dei, fides, & alia Christi Redemptoris beneficia spiritualia significantur, exhibentur, applicantur, confirmantur, & obsignantur. An verò utraque ex parte Dei constituta media, Verbum & Sacramenta, uno & eodem modo operentur, & in his similis aliqua vis, quæ verbum pollet, an major aut minor gradus, & plura an pauciora efficacitatis, ut ita dicam, momenta reperiantur, nunc non dicam. Id interim certum est, per verbum primum, quasi insultum fieri, cor præparari & flecti, fidem denique accendi,

Az

quæ,

quæ, si Sacramentum accedat, majores subinde progressus facit & robustior evadit. In Sacramentis enim & visibilibus signis non tantum auditur verbum, sed quasi pictum visitur, quod cum miraculis sermè pariat. Idque nostra Apol. Aug. Confess. art. XIII. ita explicat: *Corda simul per verbum & ritum movet Deus, ut credant & concipiunt fidem, sicut ait Paulus, fides ex auditu est. Sicut autem verbum incurrit in aures, ut feriat corda, ita ritus ipse incurrit in oculos, ut moveat corda. Idem effectus est verbi & ritus, sicut præclare dictum est ab Augustino: Sacramentum esse verbum visibile, quia ritus oculis recipitur, & est quasi pictura verbi, idem significans, quod verbum. Quare idem est utriusq; effectus.*

§. II. Cùm itaque Numen Divinum ex sola immensa ipsius misericordia generi humano elargitum fuit ac contulit æternam salutem, & alia bona spiritualia, & ita ad vitam æternam consequendam eidem proportionata sancivit atque constituit media, sponte fuit, quòd cùm solius Dei sit dare æternam salutem, pariter ipsius solius sit constituere media seu Sacramenta, quibus median- tibus illa bona conferuntur, nec ita ulli mortalium, cùm ipse Christus sit maneatque caput Ecclesiæ, Sacramenta mutilare vel augere competat. Verùm Anti-Christus ille occidentalis insignis & eminentis ille seductor, qui est Pontifex Romanus, de quo Daniel Prophetæ XI. 36. 37. 38. Paulus Apostolus 2. Thess. II. 3. 4. 9. 10. 11. & Johannes Theologus I. Epist. II. 18. Apoc. XIII. 11. 12. 13. 14. XVII. 11. seqq. vaticinati sunt, cùm omnia, quæ sancti illi Dei homines Anti-Christo tribuunt, Papæ Romano exactè conveniant, non erubuit ex propria auctoritate, cùm Christus constituisse Ecclesiasticum Monarcham, qui Vicarias ejus in terris sustineret partes, nunquam in sacris literis, sed curam Ecclesiæ Apostolis ex æquo commisisse & concredidisse, Matth. XXII. 19. 20. Joh. XX. 21. 23. imò potiùs Monarchicum Imperium ullius hominis in Ecclesiâ disertè impro- basset Luc. XXII. 24. 25. 26. dicatur, numerum binarium, prout ab ipso Christo institutus fuit, in septenarium mutare Sacramentorum Novi Testamenti ausus fuit, uti Concilium Tridentinum, quod, uti infra videbimus, ex ejusmodi Episcopis, qui modò Papæ, ne i-
pius

psius auctoritas vilesceret, partes tenebant, conflatum fuit, copiose & articulatè ipsius Papæ Romani mentem Sess. VII. can. I. explicat. Unde Becanus in Man. lib. I. cap. XI. num. 39. Nos constanter docemus cum Concil. Trid. Sess. VII. esse *Sacramenta nove legis, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, extremam Unctionem, Matrimonium.*

§. III. Sed non sufficiebat contra institutum Salvatoris Jesu Christi Sacramentorum à Pontifice Romano confectum, augmentum, sed, quò magis ipsius nequitia toti terrarum orbi patefieret, S. Evcharistiam mutilare, Laicisque calicem, in quo sanguis ipsius pretiosus pro omnium mortalium peccatis effusus exhibetur, subtrahere ausus fuit. Ecce ejus malitiam atque immanissimam tyrannidem! Sanè quæ à communis Domini munificentia per scripta sunt Legata, ea ab arbitrio eorum pendere non possunt, à quorum liberalitate non pendeant. Sunt Sacerdotes executores Testamenti cœlestis. Et quisquam æquum censeat ab executoribus Legata interverti: quocunque prætextu intervertant? Legavit Christus plebi suæ panem & vinum, Sacramenta sua æquè utrumque: usi quoque sunt Laici sub utraque specie Evcharistia, secula plus quàm duodecim integra; tandem Seculo XII. mutilatum atque detractum fuit hocce Sacramentum, quod etiam sequentibus seculis plurimis in Ecclesiis, quæ Pontificis Romani jurisdictionem agnoscunt, mansit, usque dum in Concilio Constantiensi primùm, post Basiliensi ac Concilio Tridentino hocce Latrocinium atque Sacrilegium, quòd tantùm Clerici circa calicem Christi prærogativâ quadam gaudere; ipsique Laici planè excludi deberent, confirmationem obtinuit. Quàm valdè igitur Testamentum à Christo, cum pro totius mundi peccatis in carne satisfacere, mori, atque sic sese voluntati Patris cœlestis subicere vellet, institutum defraudatum sit, quàm ex privato imò Diaboli instinctu Pontifex Laicis Calicem prohibere nisus, solisque Clericis hancce prærogativam tribuere ausus sit, in præsentis Dissertatione brevibus verbis ipsi sacrilegium ac nefandos ausus examinabimus. Oramus autem Numen divinum, ut hisce nostris oris successus prosperos elargiatur!



S. IV. Ex omnibus Evangelistis, juxta ac Communi Doctore Genticum, Apostolo Paulo, satis constat, quod Christus utramque speciem non pro una Ecclesiae parte, sed pro tota Ecclesia instituerit. Imò quoque, uti infra ex Patrum testimoniis conspicuum reddatur, certum est, in Ecclesia Christiana clericos nullam praepopulo habuisse praerogativam, sed eidem panem & calicem benedictum semper porrectum fuisse, eamque communionem promiscuam plebi aequè ac sacerdotibus usque ad seculum decimum aut undecimum perseverasse. Quanquam non possum non negare, quòd excipiat, quasi in privatis aedibus uno alterove tempore factum sit, quod tamen à Pontificiis nondum fuit probatum, ut Laici sanguinem Christi è calice non acceperint, sed unà specie in communionem frui coacti fuerint; illud tamen ordinariam regulam non constituit, nec ulla lege introductum multò minùs à Catholica Christi Ecclesia receptum aut approbatum. Unde ipse ALPHONSUS CASTRO, cum de hujus consuetudinis origine disputaret, exactè inquit: *Si quis à me petat, quando communicatio sub utraque specie inter Laicos deserit, ego, ut ingenuè loquar, ignoro. Nam etsi in re hanc investiganda omnem adhibuerim diligentiam, apud nullum tamen scriptorem potui hujus rei invenire initium, neque ullam ante Concilium Constantiense invenio hanc de re definitionem.* Imò ipse ROBERTUS BELLARMINUS eandem obtinet opinionem, quod ea de re Ecclesiae definitio non possit porrigi; sed consuetudine successu temporum in Ecclesiam introducta quilibet contentus esse debeat. *Si tempore Cypriani, inquit Lib. IV. de Eucharistia cap. XXVI. habuissent Laici jus petendi calicem, certe habuissent ex consuetudine istius temporis. Ergò cum hoc tempore sit contraria introducta consuetudo, non habent amplius jus illud Laici.* Id quod pariter Concil. Tridentinum Sess. XXI. fatetur, quòd ab initio Christianae Religionis non infrequens fuerit utriusque speciei usus, quae consuetudo successu temporis mutata fuit.

S. V. Factum deinde fuit, postquam mutilatio Pontificia inde à seculo XII. semper pullulavit, ut, cum seculo XV. Concili-

(5.)
um Constantiense haberetur, primò sub gravissima pena, quod
Ecclesia universalis integris mille & amplius annis perpetuà &
non interruptà consuetudine semper observavit, communio u-
triusque speciei prohibita & proscrip̃ta fuerit, addita flagitiosa
clauulà, non obstante Christi mandato & institutione. Illud
Concilium Bimo Tom. III. Conciliorum annotante, Anno Do-
mini M. CCCC. XIV. auspiciu suu iniiit, propter multos eos-
demque varios, qui veræ ac sinceræ doctrinæ de Christo, quam
JOHANNES HASSIUS & HIERONYMUS PRAGENSIS ex sa-
eris literis Vet. & Nov. Testamenti professi erant, & à fermenta-
tionibus Pontificiis purgaverant, adhuc adhærebant, & Anno Do-
mini M. CCCC. XIX. finitum fuit, quò per hocce Concilium
Schisma uti Pontificii loquuntur, in Ecclesia Romana ortum &
Hussitarum (vera tamen ac puriora) dogmata damnarentur. Sic-
uti igitur hocce Concilium varia, eademque falsa exhibuit con-
clusa, quæ præsentibus Episcopis ad stabilendam auctoritatem Ponti-
ficis Romani composuerant; ita idem *Sess. XIII.* hoc nefandum
atque contra Christi expressum mandatum concianatum dogma
declamavit, decrevit, & definivit, quòd Laici ad bibendum cali-
cem in S. Coena prohiberentur, & soli Clerici admitterentur.
Verba ipsius Sessionis apud Binium loco citato possunt evolvi, quæ,
hocce falsum dogma perspicuum atque manifestum reddunt.
Quid commoverit ipsos Episcopos, quòd illud sacrilegium & Te-
stamenti Christi talem defraudationem statuerint, merito disqui-
rendum erit. Forsan ex nullo alio fundamento factum fuit,
quàm, ut Potestatem Pontificis, quâ ipse polleret in Ecclesia, adeò,
ut prohibitu præcepta & mandata Numinis divini derogare, con-
stitutiones ac decreta sua longè anteponere, & sic re ipsa, dum se-
cundum Paulum 2 Thess. II. 9. arrogatio divinæ potestatis & u-
universæ religionis orthodoxæ impugnatio inter notas ac propri-
etates veri Anti-Christi annumerantur, se esse illum Anti Chri-
stum, de quo Scriptura S. variè variè variè variè variè variè variè
falsò dogmate stabilirent & confirmarent. Accedit deinde
Papicolarum superstitio & opinio falsa de Transsubstantiatione,
quæ

quæ quò magis invaluit & altas radices egit, eò major quoque metus effusionis exortus est, hominesque sibi facilè persuaserunt, nullà alia re, quàm abstinentià periculum illud averti posse. Reperti quidem fuere CASANDER *Consult. art. XXI. fol. 1039* juxta ac ante ipsum WILHELMUS LINDANUS Ruræmund. Episcopus Lib. IV. Panopl. *cap. LVI.* qui multis disputarunt, & ex ipsis decretis Constantiensis verbis, quòd nec in eodem Concilio consuetudo communicandi sub una ubique specie sancita, neque omnis communio sub utraque penitus sublata aut Laicis interdicta, sed ad tempus saltem intermissa & suspensa esse videatur, demonstrare conati sunt; sed quàm rectè suam sententiam adstruxerint, & num suis omnibus eam persuasi sint, nos lectori arbitrandum relinquimus.

§. VI. Decretum ipsius Concilii Constantiensis, quod omninò Laici ex usu calicis, nisi Papa Romanus uni alterive daret concessionem, exclusi esse deberent, magis manifestum reddidit Concilium Basiliense Anno XXXI. post insecutum. Siquidem in eodem tam perspicuè decretum de calicis subtractione respectu Laicorum fuit repetitum, ut verbotenus ex Constantiensi descriptum videri queat. Tantum itaque abest, ut in isto Concilio secundum Cassandri & Lindani opinionem tantùm ratio ipsius subtractionis ad tempus habita fuerit, ut potius consuetudo communicandi sub una, quæ ultimò & fatiscente ævo in Ecclesias Occidentis irrepserat, pro lege sancita & stabilita fuerit. Verba ipsius Concilii Basiliensis, quæ in Sessione XXX. habita X. Cal. Jan. Anno M. CCCC. XXXVII. testante BRINIO Tom. IV. Conciliorum p. 12. leguntur, satis satisque hocce effatum evincunt: *Decernit & declarat, quòd fideles Laici sive Clerici communicantes & non conficientes non adstringuntur ex præcepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie panis scilicet & vini sacrum Eucharistie Sacramentum.*

§. VII. Tandem superiori seculo Concilium Tridentinum, quod integros octodecim annos duravit, pariter mutilationem Sacramenti, explosa & proscripta integritate, calculo & decreto suo

robo.

roboravit. Hocce Concilium in Papatu hisce temporibus pri-
mariū habetur, juxta ac toti orbi Christiano propter molitos at-
que innumeros abominandos errores, quos defendere & propa-
gare allaboravit, satis satisque innotuit. Nam postquam per sin-
gularem DEI gratiam B. noster Megalander, Lutherus excitatus à
Spiritu S. multas easdemque diversas regiones à superstitionibus
ac impietate Papali liberaverat, simulque suam doctrinam proba-
verat, & in alias provincias dimanare cooperat, factum fuit, ut
à Leone X. qui tū temporis partes Pontificis Romani tenebat, di-
ploma aliquod, quo Lutherus, ejusque scripta damnata fuerint,
confectum sit: sed B. Lutherus unā cum cœteris Principibus Im-
perii, qui veræ Religioni adhærebant, provocavit ad Concilium,
quod verò semper optimè conscius suorum errorum terque se-
qvutus erat Papa Romanus, cū Protestantes (quod nomen M. D.
XXIX. ipsi acceperunt, dum decreto imperiali, quo libertas Evan-
gelicorum valde constringebatur, sese opposuerunt, uti ex SLEID.
lib. VI. patet) pro reformanda Ecclesia & componendis, quæ exor-
tæ erant, controversiis, Liberum Christianum & universale Con-
cilium deposcebant. Verū impetrare non potuerunt, ut Pon-
tifex tale concederet Concilium, metuens ne auctoritatis suæ ja-
cturam faceret. Tandem, cū diutiùs reluctari non posset Pau-
lus III. Anno M. D. XLV. Concilium Oecumenicum Trident. in-
dixit, quòd planè compositum erat ad nutum & voluntatem Pon-
tificis, omni Episcopis liberè sententiam dicendi ereptâ potestate;
nedum quòd hocce Concilium Synodi œcumenicæ promereatur
nomen; cum ex solis occidentalibus compositum fuerit Concili-
um Episcopis, ac ne iis quidem omnibus. Nam solæ Gallicanæ
nondum approbarunt. Quo tam parvo numero nulla consistit
unquam Oecumenica Synodus. Imò multa particulares pluribus.
Ad hoc erant omnes paucissimis exceptis, Italici ac Hispani, non
ergò ex toto orbe Christiano. CHAMIER T. 1. p. 45. &c. Imò
quid ulterius de hoc Concilio habendum sit, quomodo Epi-
scopi illi fuerint conductitii, qui nullum aliud decretum, nisi quod
Papæ Romano placuerit, definire coacti fuerunt, ipse ANDREAS
B DU.

DUDITHUS, Episcopus Quinq; Ecclesiens. in Epist. ad Maximilianum II. Casarem, ubi sententiam suam refert de Calice Laicis concedendo & Sacerdotum Conjugio, testatur, qui deinde secundum Rivetum ad Antitrinitarios defecisse dicitur, sequentibus verbis: *Erant Episcopi illi conductitij pleriq;, utur res rusticorum, musicum instrumentum, quos ut vocem mittant, inflare necesse habent. Nihil habuit cum illo conventu S. Spiritus commercij, omnia erant humana consilia, que in immodica & sanè quàm pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur. Illinc responsa tanquàm Delphis aut Dodonâ expectabant: illinc nimirum Spiritus ille S. quem suis consiliis præesse præstant, tabellarij manticis inclusus mittebatur; qui, quod admodum ridiculum est, cum aliquando, ut fit, aque pluvij excrecebant, non ante advolare poterat, quàm inundationes desedissent. Ita fiebat, ut Spiritus non super aquas, ut est in Genesi, sed secus aquas ferretur.* Porro acta hujus Concilij tanquàm impia, iniqua, nec Scripturæ S. conformia PALLIUS SARPILLIS Venetus Ordinis Servitarum sub nomine Petri Svavis Polani in *Lib. VIII. Historia Concilij Tridentini* posteritati memoriæ tradidit, nec quidquam reliquit, licet hæresi adhereret Pontificiorum, quod ab Historico fide digno requiritur, quam sapius ipsi Papicolaræ propter illam fidem in Historia Concilij Tridentini annotata præstitam insidias struxerint, & sicarium conduxerint, qui cum aliquando tempore vespertino coenobium frequentare vellet, usque ad mortem fermè eum vulneratur, quibus rebus factum est, ut ille Paulus Servita cultrum sicarii diligenter hæc inscriptione; **FILIO DEI LIBERATORI**, custodiverit, tandemque postquam LXXI. annum expleverat, & quàm plurima vitæ pericula subierat, animum exspiraverit. Ipso e mortuo Gregorius XV. Pontifex Romanus præ nimio gaudio exclamabat. *Per bujus viri mortem DEUS sedi Romanæ singularem gratiam atque auxilium præstitit*, uti pluribus illud retulit ex fide dignis Auctoribus Summè Reverendus Dn. D. MAYERUS in erudito Scripto, quo informatio peregrinantis Lutherani inter Pontificios, apudque eosdem habitantis habetur. Conati quidem

dem fuerunt ipsum PETRUM SVAVEM refutare. SEIGIO, juxta ac HEINRICUS in Censura Theologica & Historica Dillingæ typis expressa & P. S. fortia Patavinus Jesuita Italicè, quid autem de omnibus hisce tribus scriptoribus habendum sit, potest videri judicium Cæsaris Aquilini.

§. IIX. Dum igitur inter alia falsa decreta ab isto Concilio definitum fuit, quòd Laicis calix in S. Cœna concedendus non sit, sed decretum in Concilio Constantiensi ac Basiliensi inceptum ac stabilitum retinendum esse, conclusum Patrum Tridentinorum fuerit; Oratores Galli, referente PETRO SVAVI *Hist. Trid. Lib. VI. p. 595.* publicâ liberaque adseruerunt voce: Gallia Regum eam esse prærogativam, ut in inauguratione sua Dominicum accipere calicem consueverint. Namque si ad moderni Galli, Tyrannorum Regis, Ludovici XIV., qui propter actiones minimè Christianas, sed potius tyrannicas, crudelissimi Tyranni, quem unquam post hominum memoriam habuit totus terrarum orbis, respectum habeamus inaugurationem, quæ Anno M. DC. LIV. peracta fuit, CHRISTIANUS ADOLPHUS THULDENUS inter alia eam ita describit, ut simul ipsius communionis, quæ sub utraque specie Regi fuit exhibita, mentionem faciat. *Sub finem Sacri, inquit, ad caeleste Epulum Rex progreditur. Præsto sunt è vestigio Pares, & coronam capiti ejus exætam reverenter attollunt. Coronâ sublatâ, in genua demissus Rex caelesti mensæ pius advolvitur, sumit Christum sub utraque specie, quod non solet, nisi ab sacerdotibus fieri. Sed in Regum Gallia consecratione, iis etiam non sine privilegio conceditur.* Id quod Historicus ille Gallicus GABRIEL BARTHOLDUS GRAMONDUS, Parlamenti Tholosani Præses pariter admonet, cum in *Lib. 1. Hist. Gall.* Ludovici XIII. Gallo-Francorum Regis inaugurationem delineatam prosperitati reliquit memoriæ, qui evolvatur.

§. IX. Unde factum sit, ut Reges Gallia talem prærogativam præ aliis acceperint, non incommodè disquiri possit. Si quidem extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur,

quod nullus ex aliis Regibus neque ipse Imperator hancce prerogativam in coronationibus obtinere potuerint. HEINRICUS CORNELIUS AGRIPPA, Consiliarius Cæsareus in suis invictissimi Imperatoris Caroli V. Coronationem apud Bononiam Anno Christi M. D. XXX. factam, describens, inter alia scribit: *Pontifex Imperatori sanctissimum Dominici Corporis Sacramentum in alia minori hostia propriis manibus ministravit. Quod cum ille devotissima reverentia accepisset, surgens, Pontificem in mamilla osculatur, rursusq; recumbens ingenue, è manibus Diaconi Cardinalis vinum, quod vocant, perceptionis recepit, prægustante sibi Cauriensi Episcopo.* Nec licet hariolari cum GRAMONDO supra notato, quasi Reges Galliae illud privilegium accepissent, *quia uncti Reges.* Sunt enim alii etiam uncti Reges, quibus tamen sub utraque specie Christi corpus & sanguis neutiquam conceditur in Papatu. Fortasse factum fuit ex quadam licentia, vel prerogativa, quæ fermè nativa habenda sit Gallo-Francorum Regibus, in Sacramento S. coenæ, præ aliis Regibus hæresi pontificiæ addictis bibendi sacrum calicem, ut JOHANNES GERSON, Parisiensis quondam Cancellarius palàm profiteri non dubitavit, vel quòd Gallo-Francorum Reges Dominicum calicem benedictum contra institutionem Christi divinam sibi auferri & adimi neutiquam voluerunt pati. Sed cum hæc pertexere nostri instituti ratio, quò nigrum nostræ dissertationis rubro respondeat, prohibeat, ideoque in quadam peculiari diatribe, si Deus nobis vitam viresq; concesserit, exponere hancce Regis Galliae circa calicem Christi prerogativam constituimus.

BRIEF BARTHOLOMÆUS GRAMONDUS, Parliamenti Tholose.
 §. X. Quamvis autem Rex Galliae communionem sacræ coenæ sub utraque specie accipiat; tamen notissimum est, quòd in Papatu nullus, quisquis etiam sit, nisi qui Clerici & sacrificuli partes sustineat, ad bibitionem sacri calicis Evcharistici admittatur. Nam cum Concilium Tridentinum, uti dictum, Sess. XXI. habitâ die XVI. Julii Anno M. D. LXII. Capitulo I. declaravit & docuit, *nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conscientibus obligari ad*
 Evcha-

*Eucharistia Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salvâ fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio sufficiat ad salutem. Si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramq; speciem sanctissimi Sacramenti Eucharistiae sumere debere, anathema sit; ita huic Concilio fermè omnes Papistæ ingenia sua atque judicia spontè submitunt, huic libenter omnes obediunt, quod ut Magistram in omnibus sequantur, uti Cardinalis ROBERTUS BELLARMINUS l. 3. de Justificatione c. 3. lib. 4. de amiss. gratiæ c. 15. lib. 1. de justif. cap. 12. loqui non erubuit. Notanter dicimus, quod fermè omnes Papicolæ Concilium Tridentinum agnoscere soleant, cum ex THUANO Libb. 36, 86. 91. GRAMANDO, Lib. I. Hist. Gallicæ & LAURENTIO BOCELLII in Præf. ad decreta Hist. Gallicanæ satis constet, quòd multæ Ecclesiæ in Papatu Concilio Tridentino subscribere noluerint. Et ita fieri solet, ut in Papatu omnis Christi instituti in Sacra Coena juxta ac priscae ac purioris primitivæ Christianæ Ecclesiæ praxeos ratio negligatur, & Concilium Tridentinum, sicuti in aliis falsis ac contra Scripturam Sacram tendentibus dogmatibus, ita quoque in isto attendatur, cum tamen hisce crassis erroribus atque opinionibus rectissime opponi possint CYPRIANI Carthaginensis in Africa Ecclesiæ Episcopi illa verba Epist. LXIII. n. II. *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis in illis Concilijs ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.**

§. XI. Verùm si Ecclesia prisca primitiva per integra duodecim secula Laicis æque ac Clericis communionem sub utraque specie juxta maximè venerandam institutionem Christi concessit, nefandum dictu est, quòd Papa Romanus tam grande sacrilegium in recentioribus Conciliis denominatis commiserit. Adducendi sanè sunt uni alterivè Doctores, ex quorum sententiis, quid tota Ecclesia tenuerit, in proclivi erit judicare. Si Seculum primum inquirimus, confitendum quidem erit, quòd, dum Ecclesia in in-



fanili quasi aetate constituta, & de persecutionibus potius tole-
 randis, quàm libris scribendis sollicita erat, pauci admodum fue-
 rint, qui res in Ecclesia gestas annotarunt, & si fuerunt, qui literis
 aliquid commendarunt, manifestum est, quod libri unà cum au-
 ctoribus combusti sint. Quibus rebus factum est, ut fidei Chri-
 stianæ dogmata non tam scripto, quàm viva voce & traditione
 de manu quasi in manum tradita, & ad posteros propagata fue-
 rint. Quod attinet liturgias Apostolorum Petri, Jacobi, Marci
 Clementis, Andreae Apostoli, Dionysii Arcopagite, Ignatii, quas
 Pontificii adducere & exinde dogmata sua adstruere solent, cum
 illis ita comparatum est, ut, quia illæ vel apertè fictæ & supposi-
 titæ vel oppidò incertæ fidei sunt, earum auctoritate non utamur,
 uti illud CHAMIERUS, (qui moenia veritatis Pontificiæ, sicuti
 Cornelius à Lapide Bellarmini controversias nominare solet, rectè
 concussisse dicitur, eademque fracta mansisse, licet Paganinus
 Gaudentius, Professor Pisanus & Proto-Notarius Apostolicus illa
 in velitationibus contra Panstratium CHAMIERI erigere volue-
 rit, mox tamen intacta reliquerit, habentur) satis satisque in Lib.
 citatis, iisdemque Theologis notissimis Tom. III. Lib. IX. cap. 9.
 ostendit ac manifestum reddidit. Nihilominus in Seculo I, quod
 spectat ad Ecclesiam orientalem sive Græcam juxta ac occidenta-
 lem sive Latinam, quæ semper suos Patres, quorum testimonia
 adhuc nobis relicta sunt, habuerunt, reperimus solum IGNATIUM
 Martyrem, in ipsorum Apostolorum schola educatum, cœlestique
 doctrina innutritum. Is igitur in Epistola ad Philadelphenses.
*Una, inquit, est caro Domini Jesu, & unus illius sanguis, qui pro
 nobis effusus est, & unus panis, qui omnibus fractus est, & unus ca-
 lix, qui omnibus distributus est.* Ecce quàm articulatè de S. Sy-
 naxi, quòd sub utraque specie non Clericis tantùm, sed Laicis quo-
 que distributa fuerit, ille Ignatius Martyr testatur, qui omnium
 optimè post Apostolos nòrat, qualem communicandi rationem
 Christus instituisset. Si enim de solis Sacerdotibus locutus fuisset,
 secus distributum & acceptum calicem fuisse dicendum
 erat.

§. XII. Idem testatur in secundo Seculo JUSTINUS in Palaestina Philosophus Christianus & martyr, qui representans Imperatoribus Christianos ritus & à calumniis paganorum vindicans non omisit hanc utriusque speciei communionem, ita Apol. II. ad Antonium Imperatorem scribens: *qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique presentium, ut participet eum, in quo gratis acta sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes praefert.* Quæ verba tam clara sunt, ut statim ex intuitu, in sacris congressibus Eucharistiam non aliter, quam sub utraque specie administratam fuisse, judicari possit. In eodem Seculo vixit Irenæus, Lugdunensis in Gallia Episcopus, qui Lib. IV. c. XXXIV. & lib. V. c. IV. nullam à Christi S. cœnæ institutione & Apostolorum temporibus Clericis quandam prærogativam concessam fuisse, pariter adserit.

§. XIII. Ex tertio Seculo denominamus TERTULLIANUM, Latinorum Doctorum facile antiquissimum Carthaginensis Ecclesiæ Presbyterum, qui libr. de Resurrectione carnis cap. 8. dicit: *caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Cui sententiæ adstipulatur CYPRIANUS Carthaginensis ejusdem Ecclesiæ Episcopus in Epist. LVI. ad plebem Tiberitanam, & lib. de cœna: *Doctore Christo primùm hac mundo innovavit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani.* Seculum quartum si respiciamus, uti Scriptorum Ecclesiasticorum, ita hæc de re feracissimum est, ut in Ecclesia Orientali Athanasium Alexandrinum, Cyrillum Jerosolymitanum, Basilium cognomine Magnum, Cæsariensem in Cappadocia, Gregorium Nazianzenum Episcopos, & Johannem Chrysostomum, Constantinopolitanum Patriarcham: in Ecclesia verò Latina Ambrosium, sive Hilarium, Diaconum Romanum, Julium, Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & Hieronymum, Presbyterum Jerosolymitanam, qui utramque speciem in Ecclesia Græca pariter ac Latina omnibus præbitam fuisse uno ore profitentur. Taceo Concilium Nicenum in Δεσποτικῶν ἢ apud GELASIVM CYZICENVM, ubi hæc leguntur verba: *Fide intelligamus primum in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem*

160 X.
2. 161 i. d. g. y. g. o. l. s. a.
K. o. r. i. o. r. y.

IV. seculum presbyterii

Job. 1. 29. 1. 161. 7.

tem



tem peccata mundi in cruento à sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius corpus & sanguinem verè sumentes credere, hac esse nostra resurrectionis symbola.

§. XIV. In Seculo V. producimus Augustinum Hipponensem ap. Gratianum diss. 2. de consecratione in Africa, Leonem quoque de Quadrag. serm. 44. & Gelasium Cande consens. diss. 2. Romanos Episcopos juxta ac Concilii Chalcedonensis IV. habiti œcumenici Patres; In Seculo VI. Reccaredum Regem in Concilio Toletano tertio; In Seculo VII. Gregorium M. in Psal. VI. Poenit. & Dial. 3. c. 36. In Seculo VIII. Gregorium II. Episcopum Romanum ad Leonem Isaurum de imaginibus, & Alcuinum venerabilis Bedæ discipulum *lib. de divin. Officijs*: In Seculo IX. Rabanum Maurum *lib. 1. de Instit. Clericorum cap. XXI.* Paschasium Corberensem *lib. de Corpore & sanguine Domini cap. XV.* In Seculo X. occurrit Regino Abbas, qui descripsit communionem Lothario Regi sub utraque specie oblatam ab Hadriano II. Pontifice Romano. Illi Patres ac auctores si evolvantur in locis citatis, tunc eorum testimonia ac sententiæ satis satisque ob oculos cuilibet Lecturo ponent, quòd sacra coena sub utraque panis & vini specie celebrata sit, præsertim cum ex Reginonis Abbatis testimonio pateat, tempore Lotharii Imperatoris, hoc est anno octingentesimo nono, & seculo sequenti, quo hæc Regino scripsit, cum pane & calicem Laicis distributum fuisse. Huc referri potest quoque ordo Romanus ex eodem, uti videtur, seculo ad nos productus, & operâ Gregorii Cassandri primùm editus, in quo modus celebrandæ missæ in Romana Ecclesia olim usitatus describitur; qui non alius fuit, quàm qui apud alios fideles hodieque adhuc observatur. *Recepto calice Archidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex corpore Dominico apud Cassandr. Oper. f. 113.* Silentio prætereo in Seculo undecimo Theophylactum in Comment. in Epist. ad Corinthios Gvilmundum de veritate Evcharistiæ, in Seculo XII. Bernhard. in Sermonibus passim, Zachariam Chrysopolitanum *lib. IV. cap. 56.* & alios, qui omnes, licet in famosa controversia de transubstantiatione

itatione agitata, & nova orta Theologia Scholastica (cujus tres quasi aetates vel periodi constituuntur, & prima à Lombardo, qui sub Seculo XII. vixit, usque ad Albertum M. numeratur) in corruptione Ecclesiae doctrina & politica laboratum fuerit, veruntamen integritatis communionis usum non fuisse profligatum, per sua testimonia adfirmarunt, quae lectum & consideratum remittimus Lectorem ad Chamierum Panstratiae Catholicae Tom. III. lib. VIII. cap. X.

§. XV. Admiranda autem est immensa Numinis divini bonitas, quod non tantum per integra secula sacramentum, licet saepius infringi ac debilitari inceptum fuerit à Pontificiis Doctoribus, S. coenae sub utraque specie, nullo servato Clericorum vel Laicorum discrimine, distributum fuerit, sed hodiernum per quatuor celeberrimos Orientalium Ecclesiarum Patriarchatus hunc instituendi modum juxta Christi communicandi rationem administrari certissimum sit. Cyrillus Patriarcha, quem longè latissimae Ecclesiae non in Europa modò diffusae per Graeciam, Macedoniam, Mysiam, Thraciam, Epirum, Bulgariam, Russiam, Serviam, Bosniam, Wallachiam, Moldaviam, Archipelagi Insulas, Podoliam, quique Poloniam, nec non Dalmatiam & Croatiam inhabitant, verum etiam in Asia Christiani, qui Natoliam, Circassiam, Mengreliam & Russiam incolunt, devotà mente suspiciunt, in Confessione fidei edita Genevae Anno Christi M. DC. XXXIII. inquit: *Credimus, fideles corpus Christi manducare in coena Domini; consequenter calicem bibere. Institutor enim sicut de suo corpore, ita de sanguine mandavit, quod mandatum nec lacerari nec mutilari debet prohibitu humani arbitrij, imò servari debet institutio, prout nobis tradita est. Ubi ergò participaverimus dignè & communicaverimus integrè corpus & sanguinem Christi in Sacramento, fatemur jam nos esse reconciliatos.* Alexandrinus Patriarcha METROPHANES CRITOPOLUS, quem in Africa Christiani per Arabiam & Aegyptum Coptae vel Coptitae dicti venerantur in Confessione Catholicae & Apostolicae in oriente Ecclesiae, quam manuscriptam Academiae Juliae Anno M. DC. XXV. dedicavit, ait; *omnes eorum,*

C

qui

qui in mensa Dominica sunt, utramque speciem participant; panis inquam & calicis; tam Ecclesiastici, quam Laici, tam viri, quam feminae. Idem quoque de Antiocheno Patriarcha, quem Suriani sive Syri vel Melchitæ sequuntur, juxta ac JEROSOLYMITANO, quem per Palæstinam Ecclesiæ colunt, dici potest, quòd illi sanctissimum Evcharistiæ sacramentum sub utraque specie communicare soleant, ex Historicis satis manifestum est.

§. XVI. Cum Græcis in communione utriusque speciei, quæ tam Laicis, quam Clericis administrari solet, conveniunt quoque in Asiæ partibus remotioribus GEORGIANI, inter Pontum Euxinum & mare Caspium atque Turcarum ac Persarum potentissima imperia medio loco habitantes, ad quos Iberi, Circassi item & Mengrelii referuntur. De Armenis, numerosissimo Orientalis Ecclesiæ populo, de Christianis Indis, quos Christianos S. Thomæ vocare solent, Abyssinis, qui Johanni Presbytero subesse dicuntur, & Jacobitis, à Jacobo Zanzalo Syro sic dictis, idem testatur Edvardus Brerevodus & ex Liturgiis harum nationum satis deduxit Casfander in Lyturg. f. 24. sqq. de Moscovitis sive Russis albis, qui proprium à Moschorum Czare nominatum habent Patriarcham, ac Ecclesiam faciunt maximam, sacram cœnam sub utraque specie omnes usurpare, inter alios Clarissimus OLEARUS in Itinerario Persico retulit. Id quod de Abassinis Æthiopibus, quos Meridionales Indos vocant, quòd tam Clerici, quam Laici ad minimum, singulis septimanis semel sub utraque specie stando communicent, Zago Zab. Episcopus Abissinus, Davidis Æthiopum Regis ad Joh. III. Portugalliæ Regem Legatus, confessus fuit in fidei publicatione, quam Lisabonæ in Portugallia Ann. Christi M. D. XXXIV. scripto complexus est, & superioris seculi Anno LXXXIII. Clarissimus DAVID CHYTRÆUS edidit: *Quoties, inquit, adsumimus corpus DOMINI, & quidem sub utraque specie in pane azymo triticeo. Quod si singulis diebus confiteamur, singulis quoque diebus accipimus venerabile Sacramentum & tam apud Clericos, quam Laicos in usu est.* Nestoriani ultimò, qui maximam Orientis partem occupant per Chaldæam, Syriam, Adsyriam, Mesopotami-

am,

am, Persiam, Tartariam & Indiam diffusi, teste Brerevardo sub utraque specie personis accedentibus cœnam pariter aministrare solent.

§. XVII. Denique optimè observandum erit, quòd & in Ecclesia occidentali, iisdemque in Locis, qui Pontificis Romani jurisdictionem agnoscunt, & ante & post Concilium Tridentinum aut permissa fuerit communio sub utraque specie, aut eo invito usurpata. *Sleidanus lib. XXI.* refert, quòd Concilium Basiliense Bohemis ante duo secula Laicis eandem prærogativam, quâ Clerici gaudere solent, concesserit, juxta ac Seculo superiori Paulus III. & post eum Pius IV, cujus concessionis exemplar ad Archiepiscopum Colonjensem missum ipse Cassander, se oculis suis vidisse, testatur Epist. CXI. *ad Xetalium* f. 1218. Ipse etiam Rex Ferdinandus & Bavarix Dux, non expectatâ Papæ & Concilii indulgentiâ, subditis suis id petentibus integri Sacramenti usum restituêrunt, uti ex PETRO SVAV. Lib. V. Hist. constat. Et ipsum Concilium Constantiense Sess. XIII. fatetur, *Christum instituisse & suis Discipulis administrasse sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum: Et similiter in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum receptum fuisse à fidelibus sub utraque specie.* Quod etiam AUGUSTINUS BAUMGARTNERUS, Serenissimi Alberti Bavarix Ducis Legatus, in ipsius Tridentini Concilii pleno Confessu die XXVII. Junii, Anno Christi M. D. LXII. liberâ & publicâ voce dixit: *Utriusq; speciei usus non modò in primitiva Ecclesia, sed etiam nunc in omnibus orientalibus Ecclesiis frequens est, & quidem celeberrimus. Quin nec Romana Ecclesia olim ab eodem usu abhorruit, quemadmodum ex varijs diversisq; historiarum monumentis edoceri potest.* Ipse GEORGIUS CASSANDER, cum ab Imperatoribus Augustis Ferdinando I. & Maximiliano II. post Tridentinum Concilium ad componenda religionis dissidia in consilium adhibitus fuisset, in Consultatione de Articulis Religionis inter Romano Catholicos & Protestantes controversis dixit, iudice JACOBO AUGUSTO THUANO: *De Administratione, inquit, Sacrosancti Sacramenti Eucharistia satis compertum est, universa-*



tem Christi Ecclesiam in hunc usque diem: Occidentalem verò seu Romanam mille amplius à Christo annis, in solenni presertim & ordinaria hujus Sacramenti dispensatione utramq; panis & vini speciem omnibus Ecclesie Christi membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum tam Græcorum quàm Latinorum testimoniis manifestum est. Et quid multis. Ipse Papa Romanus, dum Laicistale jugum imponit, quòd Laici à calice benedicto planè excludi debeant, secum reputare debet, quòd adhuc, sicuti post decretum Constantiense universum populum carne & sanguine Domini communicavit, hodie communicare debeat, si rituales libros & ordinem Romanum à semet compositum observare voluerit. Quae de re denuò CASSANDRUM audiamus qui lib. de comm. sub utraque f. 1037. ita loquitur: Hunc quoque morem integrè communicandi Pontifices Romani huc usq; in Diacono & Subdiacono in solemnioribus festis communicando retinent, ut in Ritualibus libris scriptum invenitur. Et Martinus V. Pontifex Maximus etiam post Concilium Constantiense in solenni Pasche officio Romani ordinis prescriptum & formulam in communicando utraque specie populo usurpasse legitur. Thomas quoque Waldensis autor est, etiam post Constantiensem Synodum Romanum Pontificem secundum usum Romanum Diaconos & altaris ministros, item Rectores insignium Locorum & Monasteriorum, fratres suos & alios, quos tantà re dignos judicabat, communicare non destitisse. Cardinalis Cusanus in Episcop. ad Clerum & Literatos Bohemiae, quem scripsit Anno 1452. annis aliquot post solutam Synodum Basileensem autor est, Pontificem Romanum usque ad proxima sua tempora in Festo Pasche Laicos, quibus ipse suà manu corpus Domini tradidit, ad susceptionem sanguinis de manu Diaconi accedere permisisse. Idem etiam repetit Epist. XIX. ad Molin. f. 1105.

§. XIX. Ex quibus omnibus patet, quòd, dùm per integrum XII. Secula Sacramentum S. Coenae integrum fuit conservatum, nec ullum discrimen personarum circa Calicis benedicti prerogativam factum & adhuc usque ad hodiernum diem in Ecclesiis Orientalibus sub utraque specie Laicis aequè ac Clericis distribuatur, Papa
Ro-

Romanus ex propria autoritate hocce nefandum Sacrilegium commiserit, & quod in dictis Conciliis effatum ipsius additâ nefandâ formulâ sub Anathemate servatum Ecclesiis, quæ jurisdictionem Romanam agnoscunt, imposuit, rem eò suâ potestate, quam ipsi in aliis Seculis non concesserunt, redegerit. Namque satis ex Historiâ Ecclesiasticâ notum est, quod Bonifacius III. sub initio Seculi VII. auxilio & consensu ipsius Phocæ, qui Imperatorem Mauritium cum uxore & liberis nefariè obtruncaverat, postquam Constantinopolitanus Patriarcha ipsius crudelitatem arguebat, Bonifacius autem tacebat, impetraverit, ut Oecumenicus Episcopus & sedis Romanæ caput omnium Ecclesiarum salutaretur, cum olim, uti ex Can. VI. Concilii Niceni patet, quatuor initiò Patriarchæ, Romanus, Hierosolymitanus, Alexandrinus, Antiochenus, fuerint, Romanusque Sozymus antea irritò planè successu Primatum Episcopi affectârit, & pariter, deinde translato Byzantium Imperio, dum ipsius urbis Episcopus primùm Quintus, mox Secundus ordine Patriarcha, occupatâ à Longobardis Italiâ, titulum Oecumenici ambiebat, ac à Mauritio Imperatore obtinebat, Pelagius II. & Gregorius M. qui AntiChristi Præcursores dicebat eum, qui se universalem Episcopum vellet haberi, acriter huic denominationi & hujus Episcopi conatibus se opposuerunt. Conf. PLATINA in *Vit. Bonifacii. Magdeb. Centur. VII. c. 7. p. 121. Mornæus Myst. Iniq. Boxhornius Hist. univers. Spondanus ad annum 607. Forb. Instruct. l. XVI. c. 7.* Quod igitur decretum obtentum à Phocæ Imperatore in Synodo LXXII. publicavit Bonifacius III. & non sine contentione obtinuit. Quibus rebus factum est, ut ab hoc Bonifacio III. omnes, qui successerunt in Episcopatu Romano, ad nostra usque tempora AntiChristi fuerint, satisque, dum Christi doctrinam corruerunt, perverterunt, multiplicarunt, truncarunt, mutarunt, mutilarunt, exhibuerint, tales se esse futuros, quales ex Prophetiis Danielis & obsignatione ipsius communis Doctoris Gentium, Apostoli Pauli olim & adhuc cognitos judicârunt veri Christiani. Comprobat hoc ipsum nefandum dogma de circa Calicem Christi Clericorum prærogativa: Annon satis satisq; veræ

Christi doctrinae circa Sacramentum Coenae hoc contrariatur. Ipsi Evangelistae & Apostolus Paulus AntiChristum Occidentalem Papam Romanum luculenter sacris sacrilegii accusant, uti jamjam sumus demonstraturi.

S. XIX. Si evolvamus ipsam Eucharistiae institutionem, quae apud Evangelistas habetur, tunc Matthaeus cap. XXVI. 26. 27. 28. ita de ipsa loquitur: Cum autem ipsi edissent, accepit JESUS panem & vinum, & quum egisset gratias, fregit & dedit Discipulis, & ait: *Accipite, & dicit, hoc est corpus meum. Et accepto poculo, gratiasq; actis, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hoc enim est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Apud S. Marcum cap. XIV. 22. 23. 24. verba Institutionis sic annotata leguntur: *Et postquam illi edissent, sumpto JESUS pane, quum benedixisset, fregit, & dedit illis: Accipite, comedite, hoc est ipsum corpus meum. Et accepto poculo illo, quum gratias egisset, dedit illis: & biberunt ex eo omnes.* Apud S. Lucam cap. XXII. 19. 20. sic verba Testamentaria habent: *Et accepto pane, quum gratias egisset, fregit, ac dedit ijs, dicens: Hoc est ipsum Corpus meum, quod pro Vobis datur; hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculum, postquam cenavit, dicens: Hoc poculum Novum Testamentum in sanguine meo, quod pro Vobis effunditur. Et Apostolus Paulus 1. Cor. XI. 23. scribit: Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & Calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Ex quibus verbis Evangelistarum ipsius Christi S. Coenae Institutionem describentium, ita argumentamur: Quodcunque omnibus Christianis in Verbis Testamentariae suae Institutionis accessuris S. Coenam Christus instituit, circa illud Clerici praeter Laicis Praerogativam quandam tenere nec possunt, nec hi sub poena Anathematis sunt excludendi: At Christus in Verbis Testamentariae suae Institutionis omnibus & singulis Christianis S. Coenam accessuris suum corpus sub pane ad edendum, & sanguinem suum sub vino benedicto ad bibendum instituit. E. nulla Clericorum praeter Laicis Praerogativa erit habenda, seu ab hac fruitione per ullum aliquod Concilium sub poena Anathematis sunt excludendi. Major manifesta erit, siquidem in S.
literis

literis expressè *Act. V. 29.* dicitur : quòd oporteat DEo magis obedi-
 re, quàm hominibus. Nec ullum Concilium talem habet potesta-
 tem, ut ipsam Christi institutionem possit infringere, cum de jure
 omnia Concilia Scripturam S. tanquam normam considerare tene-
 antur, adeoque nullus mortalium anathemate sive maledictione di-
 gnus censendus sit, qui divinam observat institutionem, cum ea
 poena ad transgressores divinæ præceptionis spectet, eosq; qui con-
 trà DEi voluntatem aliquid mandare non erubescunt. Testatur
 id ipse Papa in Jure Canon. Can. 107. *Si quis prohibet votis, quod à Do-
 mino præceptum est, vel rursus imperat fieri, quod Dominus probi-
 bet, execrabilis sit omnibus, qui diligunt Deum.* Minor clara est, si-
 quidem Christus in allegatis locis ex Evangelistis eam ob causam
 instituit S. Coenam, ut quilibet absque discrimine ullò personarum
 Corpus & Sanguinem suum sub pane & vinò benedictò accipere de-
 beat. Nec existimandum erit, quasi inter ipsam institutionem &
 præceptionem Christi discrimen aliquod sit observandum, adeò
 ut ex ipsis Evangelistis modò S. Coenæ institutio, non autem præce-
 ptum habeatur, adeò, ut Pontificii sibi persuasum habeant, quod
 hâc limitatione invenerint, non quod pueri in fabà, uti *Becanus*
*Part. III. Theol. Scholast. Tract. II. cap. XXIV. & Opusc. de Communio-
 ne sub utraque specie cap. II.* ait : *Tota controversia in eo sita est, an ex-
 ter præceptum divinum, quò & Laici teneantur sub utraq; specie com-
 municare, & Ecclesie ministri teneantur utramq; speciem illis exhibere.*
 Verùm vocabulum Institutionis eâ significatione usurpatur à Chri-
 sto, prout circà actiones à certis hominibus peragendas occupatur,
 & mandato æquipollet. Sic quando matrimonium instituit, hâc
 ipsâ institutione etiam obligavit eas personas, ut illæ huic præcepto
 debitum morem gerant, quæ aptæ sunt, nec propter scortationis
 atque impuritatis evitacionem extra matrimonium vitam agere
 valent. Ut si dicam, DEus instituit matrimonium, ut, qui conti-
 nere non possunt, matrimonium contrahant, idem est, ac si dixis-
 sem, DEus mandavit. Item DEus instituit, ut fideles adulti, qui se-
 metipsos probare, mortem Domini annunciare, & corpus ejus ab a-
 liis cibis discernere possunt, panem edant, & à calice Eucharisticò
 bibant,

Bibant, idem est, ac si quis diceret: Deus hoc præcepit & mandavit. Unde nunc licet ita argumentari: Pro quibus instituit Christus Cœnam Dominicam, ut Corpus ipsius edant, & sanguinem ejus bibant, illis mandavit corpus suum edere atque sanguinem suum bibere. Atqui non pro solis Clericis, sed omnibus fidelibus semetiplos explorantibus instituit. E. mandavit. Atque præterea hoc inde quoque probatur. Cum Numen divinum aliquam actionem instituat, eam ob causam fieri solet, ut & mortales peragere debeant, simulque quid ab illis fieri vel non fieri debeat, indigetur. Neque enim censendum est, quod tantum dicis causa sermo ille de pane comedendo & vino bibendo ab ipso Christo habitus fuerit, sed ut usque ad finem mundi ab hominibus observetur: Quicquid instituitur à Deo hœc fine, ut & ab omnibus fiat, id Deus ab omnibus, quibus instituitur, fieri vult, & præcipit: Atqui Evcharistia à Christo instituta fuit hœc fine, ut ab hominibus usurpetur. E. Evcharistiam ab hominibus, quibus instituta est, usurpari Deus vult & præcipit.

§. XX. Ulterius si procedimus, & verba ipsius Institutionis Christi consideramus, res in apricò locò posita esse videtur, quod hominibus accessuris debeat panis distribui, sub quò corpus Christi exhibetur, juxtà ac vinum, sub quò sanguis JESU CHRISTI habetur, quia illa verba? *Accipite, edite, bibite, hoc facite*, talem inferunt obligationem. Sicuti igitur *edite* vim habet præcepti, & obligat ad edendum panem; ita quoque *bibite*, habebit vim præcepti, & ad bibendum obligabit. Aut si Imperativus: *bibite*, nullam vim præcipiendi & obligandi habet, sed liberum est bibere, vel non bibere. E calice Benedicto, liberum quoque erit, panem Evcharisticum edere vel non edere, eademque operâ totum Sacramentum, necessitasque & præceptum in Ecclesiâ illud frequentandi evertetur. Argumentor ergò hoc modo: Quàm efficaciter obligat Imperativus, *Edite*, ad comedendum benedictum panem, tam efficaciter obligat Imperativus, *Bibite*, ad bibendum e calice. Sed Imperativus, *Edite*, ita obligat, ut nemo idoneus & tempus habens id possit omittere, E. & Imperativus, *Bibite*. Ultraque E. actio, non minus posterior, quàm prior, sub præcepto omnibus Christianis accessuris injungitur, & vel utraq;

Simul

simul ab omnibus observanda, vel unâ neglectâ vel prohibita, altera quoque intermittenda erit. Quod & verba illa: *Hoc facite*, tam distributioni panis, quàm Calicis à Servatore subjuncta faciunt, ut idem scilicet, quod Christus fecit, à nobis, nullò personarum discrimine habito, fiat, quò ipsò fideles omnes ad usum utriusque speciei divinâ lege & præcepto adstringi patet.

§. XXI. Denique non prætereundum erit, quod Salvator non tantùm actionem edendi & bibendi præcipiat, sed & certam materiam ordinet, & qui homines, & quomodo, ceu quibus actibus circa illam versari debeant, præscribat. Jam verò materia & actiones circa eam occupatæ satis præ se ferunt, quòd actio manducandi ex se & formaliter distincta sit ab actione bibendi, & præterea cum solo pane sacramentaliter uniri corpus Christi, non sanguinem, & cum solo vino sanguinem, non corpus. Unde etiam distinctè corpus cum pane manducari, & sanguinem cum vino bibi statuit. Sicut eim panis editur, non bibitur, & vinum bibitur, non editur; ita Christi corpus suum cum pane manducari, non bibi, & sanguinem suum cum vino bibi, non manducari voluit. Unde tale fit argumentum: Quæcunque actiones Sacramentales circa certam materiam sunt distinctè institutæ & ordinatæ, illæ eodem modo, quò præceptæ, & circa eandem materiam sunt observandæ. Atqui actio edendi & bibendi, & edendi quidem panem, bibendi autem sanguinem distinctè sunt ordinatæ. E. eodem quoque, non alio modo à post futuris fidelibus observanda. Idem patet quoque de personis. Nam licet verba Institutionis Apostolis præsentibus dicta sint; tamen non ad eos tantùm, sed ad omnes fideles, qui post futuri sunt, referri posse rectè concludimus, id quod quoque agnovit CASSANDER in *Consult. art. XXII.* dicens: *Apostolos videlicet in primâ illa S. Cœnæ institutione, & administratione fidelium communicantium personam representasse.*

§. XXII. Accedit ultimò, quòd Evangelistæ clarè & manifestè testentur, quòd utramque speciem Servator noster Christus Apostolis præsentibus manibus suis distinctè porrexerit, nec unquam legatur, aut Christum solum panem adhibuisse, eumque solum A-

D

posto:

postolis distribuisse, aut hos solo pane, remotò vel neglectò vinò u-
 sos fuisse. Sed Christus pani vinum subjunxit, & benedictum Di-
 scipulis distribuit, hi verò non tantùm panem comederunt, sed et-
 iam è Calice biberunt, hinc denuò enascitur argumentum : Quod
 Christus Apostolis suis distinctè exhibuit, quodq; illi distinctè ac-
 ceperunt, id à nobis quoque similiter sumendum est. At panem,
 benedictum & vinum benedictum Discipulis suis Christus distinctè
 exhibuit, illi quoque similiter acceperunt. E. idem quoque nobis
 omnibus, Apostolorum hâc in parte successorib9, faciendum est.

§. XXIII. Nec exiguum roboris atque confirmationis, quòd
 nullum discrimen personarum in S. Coenâ sit habendum, sed Laicis
 æquè ac Clericis Calix benedictus porrigendus, reddit ipse commu-
 nis Doctor Gentium, Apostolus Paulus in I. c. quando dicit I. Cor.
 XI. 23. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis,* cum ille Ecclesiæ
 Corinthiæ mentionem faciat, (quæ eodem modo, uti à Christo
 instituta, & fidelibus omnibus præcepta est, Eucharistiam admi-
 nistravit) & sic ad institutionem, & primam Christi administrati-
 onem auditores suos revocet, simulq; utramque speciem illis ali-
 quoties inculet, v. 21. 24. in primis v. 27. seqq. *Quotiescunq; mandu-
 cabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annun-
 ciabitis, donec veniat.* Idque illi sine dubio fecerunt: hinc denuò
 argumentamur: Quod Ecclesia Corinthiæ, uti à Christo & Apo-
 stolis accepit, ita in publicis conventibus constanter observavit, i-
 dem à nobis quoque eodem modo observandum est; Atqui Ecclesia
 Corinthiæ, & in eâ non tantùm Clerici, verùm quoque Laici, in
 Conventibus Ecclesiasticis, juxta Christi & Apostolorum traditio-
 nem, sumto sacro pane benedictum quoque calicem, seu sanguinem
 Dominicum biberunt, E. idem à nobis quoque observandum est.

§. XXIV. Et ita ex hisce argumentis potioribus satis satisq;
 nefandum sacrilegium Pontificiorum non tantùm debilitatum &
 destructum, sed & nostra sententia adstructa esse videtur; aded ut
 breviter jam ad Pontificiorum argumenta, priusquàm huic nostræ
 Dissertationi colophonem imponamus, respondeamus: Siquidem
 cum iis ita comparatum est, ut partim pleraque suâ sponte corru-
 ant,

ant, reliqua verò satis à Nostratibus resoluta sint. Nam, postquam Concilium Tridentinum definitiones & conclusa planè obscura sæpiusculè Ecclesiæ Romanæ tradidit, repertus fuit Cardinalis Robertus Bellarminus, qui easdem illustrare, ac ad Nostratium argumenta respondere conatus fuit; hunc tanti æstimant Pontificii, ut ex ipsius Nomine ac Titulo; **ROBERTUS CARDINALIS BELLARMINUS** è SOCIETATE JESU, per literarum transpositionem tale latitare mysterium; *LUTERI errores, ac Astutias Calvini omnes delebis*, adfirmare non erubuerint, uti *Jacobus Fuligattus* in vita Bellarmini ex Versione Sylv. Pet. Sancta Antvverpiæ apud Plantinianos Anno 1631. edita retulit, juxta ac ipsius actiones in Ecclesia Romana gestas summis laudibus extulit. Verùm, si rectè ipsius Cardinalis titulum consideramus, facilè absque ullius literæ intermissione talis inscriptio de jure poterit deduci, *Luciane, Astutis Rores B. LUTERI docebis? manes orca*; vel si libertatem habeamus unam literam E adjiciendi ipsi nomini BELLARMINUS, nomen verum & omen habebit, quòd dicatur verè: BELLA-RE MINUS, uti priorem inscriptionem ex ipsius nomine deduxit Nazianzenus nostri Seculi, *B. D. Scherzerus, Theologus Lipsiensis Primarius, in Pref. Anti-Bellarmini*. Nec hæ sunt habendæ conjecturæ frustraneæ, vel, quòd ex privatis proficiscantur affectibus, æstimandum erit, cùm satis sit manifestum, quòd Sixtus V. Papa Romanus mandaverit, ut ipsius Bellarmini scripta in librorum prohibitorum catalogum transferrentur, sicuti *Fuligattus* cit. loco p. 124. seqq. hujus mandati mentionem fecit, & pariter demonstravit *Theoph. Raynaudus* in *Erotematibus* de malis & bonis Libris Part. I. *Erotem. XV. p. 22.* *Jobannes* autem *Launojus*, Doctor Gallus, ipsi Bellarmino nec scientiam nec veritatem tribuere voluerit, uti ex ipsius verbis, quæ Tom. I. Epist. V. p. 17. habentur videri potest: *Bellarminus sibi canit*, inquit, *non sedi Apostolica non Ecclesia veritati. Quæ sibi sumit lemmata hæc, cujus antiquitatis, an certa vel incerta, & quòd pertineant, non semper expendit, peculiari trutinâ contentus. Nam si aurificum staterâ expenderet, veretur, ne, quæ ex illis lemmatibus colligit, non colligeret, sed potius abjicere cogeretur, Atq; ita, quòd scripu-*

rienti magnum esset malum, pagina vacaret. Nec latet tam ipsos Pontificios tam alios, quam, dum astutis rores Lutheri docuit, Lucianus juxta ac orca manserit Bellarminus, minusq; bellatus fuerit, dum Chamier, Amesius, Nostratesq; veri veræ Ecclesiæ Doctores ipsa mœnia veritatis Pontificiæ, uti Cornelius à Lapide Bellarmini controversias vocare solet, adeò prostrârunt, evertêrunt, contudêrunt atque debilitârunt, ut satis satisq; ex eorum scriptis Bellarmini fallaciæ, astutiæ & contra Script. S. tendentes doctrinæ perspiciantur.

§. XXV. Hic igitur Robertus Bellarminus, uti occupatus est circa falsas ac perversas Concilii Tridentini doctrinas defendendas, ita etiam Clericorum prærogativam circa Christi calicem falsis hypothesebus fulcire ac evincere manibus pedibusq; annisus fuit. Constat autem ex eodem, & quidem *lib. I. de Clericis*, quòd omnes illi in Papatu Clericorum nomen mereantur, qui divino cultui sunt consecrati procurandæ religionis ac rerum sacrarum, & ita quasi Domini fors ac hæreditas dicantur, cum è contrasio reliqui omnes, sive sint Principes sive Electores, nomen Laicorum sive plebejorum sortiantur. Idq; effatum expressè refutat Scriptura Sacra, cum Petrus I. Ep. V. 3. omnes in genere Christianos sortem, peculium, & Numinis divini hæreditatem nominare soleat, nec ita pariter, uti probatum in verbis institutionis respectu calicis Christi discrimen Clericorum & Laicorum sit tenendum. Namq; non arbitrandum est, quòd verba, *bibite omnes ex hoc* solis Apostolis dixerit Christus, quippe Domini in ea cœna convivis; sicq; ad homines universos referri nequeant, uti Bellarminus Lib. IV. de Evchar. cap. XXV. intendit: *Universalissimè, id est, pro omnibus hominibus capi non potest: nam sequeretur, Sacramentum dari Turcis, Judæis, Ethnicis: Et illi enim homines sunt. Oportet igitur pro certo genere hominum illud accipere: quæro igitur, quod sit illud hominum genus. si dixerunt omnes viros, excludentur fœminæ: si omnes fideles includentur infantes, quos tamen etiam adversarij excludunt. Dicent esse omnes fideles adultos. Sed imprimis gratis hoc dicent: nec enim id facillè probare poterunt. Deinde includentur abstemiij, quos tamen ipsi plerumq; excipere solent. Deniq; repugnat Marcus apertissimè, qui sic ait cap. 14. Et ex eo biberunt omnes.*

§. XXVI.

§. XXVI. Verùm enim verò hæc sententia ipsius Bellarmini propugnata adversatur tum ipsi Georgio Cassandro, qui eam in consult. art. XXI. p. 981. refutavit, tum quoq; Maldonato pariter Pontificio, qui ad c. XXVI. Matt. num. XXCV. inquit, *Duodecim, qui aderant Apostoli omnis Ecclesie, cum qua fædus Christus inibat, personam representabant.* Deinde extra controversiam positum est, quòd Apostoli mensæ adsidentes & è calice benedicto bibentes non erant sacerdotes sacra conficientes, sed in Laicorum numerum computabantur, unde sequitur, Laicos & non conficientes è calice quoque bibere posse ac debere, cum tamen secundum Bellarmini hypothesein soli sacerdotes sacra conficientes vi institutionis & præcepti Christi ad sumptionem vini essent admittendi. Porro concedimus Bellarmino, quòd præceptum Christi non spectet ad universos promiscuè homines, sed ad eos tantum, qui semetipsum possunt explorare, & corpore Domini valent ab aliis discernere, & sic rectè concludi potest, quòd Turci, Judæi, Ethnici, ac infantes, quia tales, ac in infidelitate manentes, non sint capaces Eucharistiæ, nec ad sumendum panem ac vinum bibendum obstricti teneantur. Elargimur quoque id Bellarmino, quòd illa verba, *bibite ex hoc omnes,* Apostolis tum præsentibus & mensæ adsidentibus Christus dixerit, sed simul contendimus, in & per Apostolos intelligendos esse reliquos fideles, quod probatur: (1) verba illa, *bibite ex hoc omnes,* dicta Christi Salvatoris aut spectant vel ad Apostolos, vel ad verbi præcones, vel ad Christianos, si primum, sequeretur, nullos Christianos post Apostolorum tempora viventes, vel debuisse, vel debere S. Coenâ sive sub unâ, sive sub utraq; specie accipere, quia nulli eorum vel fuêrunt, vel sunt Apostoli, si secundum, ergo nec ulli Christiani Laici S. Coenâ sive sub una sive sub utraque specie uti debent, quia non sunt ordinarii verbi præcones, Ergo relinquitur tertium, quòd illa verba dicta sint Apostolis, ut Christianis & fidelibus & Sacramenti hujus capacibus. Quod autem Apostolis dictum est, ut fidelibus, id omnibus omnino, quibus idem jus competit, dictum est; Sed edite & bibite Apostolis, ut fidelibus dictum est; Ergo edite & bibite omnibus fidelibus dictum est; Ratio in promptu est majoris, quia à quatenus ad de omni, conse-

quentia firma erit, & minorem ipsa Textus verba manifestam reddunt; (2) accedit ultimò, quòd iis omnibus, quib9 fructus sacramenti, gratia divina & remissio offeruntur, applicantur & obsignantur, non calix benedictus sit subtrahendus; Atqui non tantùm Apostolis vel sacrificialis aut conficientibus sacramentum, uti Pontificii loquuntur, sed omnibus fidelibus dignè cœnam Domini accipientibus fructus Sacramenti offeruntur, ergo nec iis calix benedictus subtrahendus, sed offerendus erit. Quod autem Bellarminus immiscet de abstemiis, quòd illos tamen oporteat necessariò sumere calicem, si τὸ bibite in verbis institutionis Christi ad omnes pertineret homines, quos tamen in nostra Ecclesia excludere solemus, tunc respondem9; si per naturam vel aliquem affectum non licitum erit ejusmodi hominibus, quòd calicem Domini bibere valeant, tunc præstaret, quòd planè abstinerent, & hîc illud Augustini locum habebit: *Crede & manducasti.* Longè enim utilius erit atque melius planè non accedere ad cœnam Domini, quàm contra expressa verba institutionis Jesu Christi, neglecto vino solum accipere corpus. Hinc adhuc potest firmiter concludi, nec per instantias Bellarmini infringi videtur argumentum Nostratum è verbis institutionis Christi desumptum: Quibus dictum est edite, illis dictum est bibite; Atqui omnibus fidelibus dictum est edite, ergo omnibus quoque dictum est bibite.

§. XXVII. Et pariter frivola exceptio erit, quando ad hæc verba *hoc facite* referunt Pontificii, Apostolos scilicet tùm à Christo ordinatos esse sacerdotes, quibus solis è calice bibere licitum sit, quod etiam sub anathemate definit Concilium Tridentinum Sess. XXII. can. II. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes aut non ordinasse, ut ipsi aliq9, sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.* Ecce nugas illas, quæ inter alias falsas doctrinas in Concilio Tridentino habentur! Agnoscit hoc ipsum Bellarminus Lib. I. de Missa cap. XII. tùm lib. IV. de Evchar. c. XXV. inquit: *Verba Domini apud Lucam ad omnia referri, id est, ad id, quod fecit Christus, & ad id, quod egêrunt Apostoli, ut sensus sit: id quod nunc agimus, ego dum consecro & porrigo, & vos dum accipitis & comeditis, frequen-*

quentate deinceps usq; ad mundi consummationem. Et quomodo aliter concludere potuisset ipsemet Cardinalis Bellarminus, cum illa verba, *Hoc facite*, referri debeant ad omnia ea, quæ præcesserant, ut sensus sit, quod ego feci, nempe me sumpsisse panem & vinum, & distribuisse, quodq; ego vobis facere iussi, edere videlicet ac bibere, idq; ad recolendam passionis ac mortis meæ memoriam, id similiter vos quoque & vestri successores in hoc convivio facere obstricti omnibus temporibus eritis. Quapropter Apostoli aut per verba illa, secundum Pontificios constituti fuere sacerdotes, aut demum post sumptionem calicis facti sunt: si prius locum haberet, merito, cur in illa cena non confecerint, vel consecrarent, sin autem posterius, ipsos ut alios fidelibus similes habendos, quibus proinde eodem modo, ut Apostolis nondum conficientibus, calicem benedictum distribuendum fuisse, disquirendum & concludendum erit. Aut si concedatur, Apostolos jam tum fuisse sacerdotes, sed non conficientes, ad minimum igitur sacerdotibus non conficientibus utramque speciem distribuendam esse, deducendum erit, quod tamen negat Concil. Tridentinum *Sess. XXI. cap. I.*

§. XXIX. Postremo haud exigui momenti ac valoris esse putant Pontificii, si ad concomitantium refugium accipiunt, dicentes: quod, dum, ubi adest Christus cum corpore suo, illud non exangue aut inanimatum, sed unà cum suo sanguine edatur, rotus & integer Christus sub una specie panis contineatur, & qui panem & corpus Christi sumit, sanguinis quoque ejusdem reddatur particeps. Tunc respondemus concedendo, quod corpus Christi in sacramento utique animatum, & sanguine suo præditum adsit & existet; verum à præsentia illa naturali, quam corpus respectu unionis istius cum sanguine habet, argumentari ad unionem sacramentalem Non Valet Consequentia. Sicut enim anima & corpus naturaliter conjuncta sunt, & humana Christi natura cum divina personaliter, neq; tamen in Sacramento aut anima Christi aut divinitas sacramentaliter adsunt & manducantur; ita nec corpus & sanguinem, utut naturaliter conjuncta, sacramentaliter simul manducari, rectè quis dixerit. Accedit præterea, quod Christus duplicem actionem, unam edendi, alteram

teram bibendi, ordinaverit distinctè, eumq; in finem duplicem materiam instituerit, panem videlicet & vinum, corpus item, & sanguinem, ut una habeat rationem comestibilis, altera potabilis. Unde etiam distinctè corpus cum pane manducari, & sanguinem cum vino statuit, neque qui solum panem & corpus edit, simul sanguinem bibisse, aut institutioni divinæ satisfecisse censendus erit. Cùm denique ratio Sacramenti in una specie tantùm reperiretur, alteram otiosam & superfluum esse futuram sequeretur, imò quoque non ulli mortalium impunè licebit divinam ordinationem mutare, violare, vel tollere, cùm Testator sanctissimus voluerit, ut panis seorsim ad modum cibi, & vinum itidem seorsim ad modum potus sumatur, nec ullum personarum discrimen in Eucharistiæ distributione habeatur.

S. D. G.

COROLLARIA

EX THEOLOGIA CASUALI.

- I. Apostatarum infantes in Parochia habitantium sunt baptizandi.
- II. Christianorum infantes per incuriam vel malitiam parentum baptismum negligentium *ab amicis* & de mortuos non esse damnandos, censemus.
- III. Nec pariter Christianorum infantes ab ipsis matribus ante baptismum enecati erunt damnandi.
- IV. Iphis moribundis ignorantibus, quis sit Christus, quæ sit ratio S. Cœnæ ejusq; usus, non distribuendum esse corpus & sanguinem Christi, rectè concluditur.
- V. Homicidam, cujus factum notum est, durante licitæ defensionis processu & ante sententiam datam Prudentum, ad S. cœnam admittendum esse, dicimus.

ERRATA.

Pap. 5. lin. 6. pro Bimo leg Binio. lin. 9 pro Hassius leg. Hussius.
 p. 6. lin. 26 pro Brinio Binio. p. 7. lin. 8. pro cooperat leg. cœperat. lin.
 13. 14. lege tergeversatus. lin. 29. pro multa lege multæ. p. 8. lin. 24. lege
 vulneratus. p. 11. lin. 12. lege G. amondo. lin. 13. lege Bochellio.

FF 111



ULB Halle 3
003 266 753




A white rectangular library label with a barcode and the text 'ULB Halle 3' and '003 266 753'.


A

VD77

Retro







ILLUSTRISSIMO C. D.
DISPUTATIO ANTIPONTIFICIA,
DE
CLERICORUM
CIRCA CALICEM
CHRISTI PRÆROGATIVA,

*In Colloquio Synodico Pastoralis
Kembergensis*

proposita

D. DAVIDE VVENDELERO,
Præposito & Superintendente,

Respondentis vices sustinente,

ANDREA GEORGI, Crosâ-Silesio,
Ecclesiæ Schmideb. Diacono,

Ad Diem XIX. Junii, Anno MDC. XC.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

all 22
J. M. Schaff
ad J. M. Schaff